

A *Desiderium cordis eius tribuisti ei.*] Iam consequenter ea subijciunt, quæ Dauidi regi suo Deus beneficia impendit. Et antequam ad specialia defendant, præmittunt in genere, de immensa illa beneuolentia & gratia Dei erga Dauidem qua illi usque ad eum fauerit, ut nihil ei negauerit: sed quæcunque & corde desiderasset, & ore petisset, sine tergiversatione præstiterit. Sic dicunt hoc versu: *Desiderium cordis eius tribuisti ei, & petitione labiorum eius non fraudasti eum.* hoc est: Quicquid vel corde desiderare, vel ore petere potest, abundè illi tribuis, usque ad eum impensè illi faues. Et meo iudicio, haud incommodè legeretur hic versus in forma præsentis temporis, ad hunc modum: *Desiderium cordis eius tribuis ei, & petitione labiorum eius non fraudas eum.* Sic enim meliùs exprimeretur non præterita aliqua, sed perpetua illa gratia ac beneuolentia Dei, qua Dauidi constanter dum uiueret, præstò fuit. Ad huius considerationem in animis piorum excitandam, adiectum est *Scilab.*

Verf. 2.

Quoniam præuenisti eum benedictionibus optimis.] Benedictio Dei, qua ille benedicit, est beneficentia, qua suis abundè ac cumulatiuè benefacit. Benedictio Dei, qua ille à nobis benedicitur, est laus & gratiarum actio, qua bonitas ac prouidentia illius de prædicatur. Quòd itaque pij hoc loco dicunt: *Quoniam præuenisti eum benedictionibus optimis:* nihil est aliud, quàm, Quoniam optimis illius beneficijs gratuito cumulasti imò antequam peteret, præuenisti. Hoc enim inani uideretur ex eo quòd non simpliciter dicunt, *Quoniam optimis illum benedictionibus cumulasti:* sed, *Quoniam præuenisti eum benedictionibus optimis.* Præuenire aliquem benefaciendo, est illi benefacere priusquam petat. Sic solent illi, qui impensè diligunt, & citius & cumulatiùs benefacere, quàm petatur. Quòd citius Dauidi benefecerit Deus, principio huius versus: quòd cumulatiùs uerò, quàm petierit, in sequentibus commemorat. Ut eum subijciunt:

Verf. 3.

Posuisti in capite eius coronam de auro puro.] Qua de re manifestè legitur 2. Sam. 12. Eam autè gloriam Dauid nunquam à Deo petit. Quod si quis simpliciter de corona regni Israël intelligendum putauerit, ne hanc quidem à Deo petijt vnquàm animus, nullius rei minus quàm eiusmodi gloriæ appetès.

Verf. 4.

Vitam petijt abs te, tribuisti ei longitudinem, &c.] Et hic versus, idem quod præcedens innuit. Po- nunt primùm petitionem Dauidis: *Vitam,* inquit, *petijt abs te.* hoc est, In periculis constitutus, quibus sa- penumerò de vita periclitari videbatur, nihil abs te petijt aliud, quàm ut sibi tutò alicubi uiuere li- ceret, ne quo pacto in manus hostium incideret, & ita spoliaretur. Deinde, ut significet usque ad eum charum Deo fuisse Dauidem, ut illi non modò quæ petijt, sed & plura ac cumulatiùs etiam quàm petijt, præstiterit: subiungunt: *Tribuisti ei longitudinem dierum,* *לעילא רעד:* id est, *ad seculum & usq.* quòd simpliciter idem esse videtur, quòd tempus prolixum ac longæuum: ut meo iudicio non incommodè uerterit Felinus hanc particulam. Dauid autem, cum in discrimine uitæ esset, non hoc petierat, ut multorum annorum serie potiretur: sed tantùm, ut è periculo mortis eriperetur. De se- nio uerò illius legimus 1. Reg. 1, ad hunc modum: *Rex Dauid senuerat, habebatque ætatis plurimos dies.* Cumq; operiretur uestibus, non calefiebat. Quidam illud, *לעילא רעד,* de futura uita & sem- piterna intelligunt: ex quib. est etiam Kimhi Ebræus, qui exponit *חיי עולם הבא:* id est, *uitam futuri seculi:* quam sententiam, ut ueram in se, ita rejicere non ausim: quamuis non ita firmum sit quòd po- pulus psallens hoc sensu ista cecinerit.

B

Magna est gloria eius in salute tua.] Prædicatur hoc versu gloria illa quæ Dauidi ex uictorijs accessit, quibus declarabatur, adiuuari illum diuinitus. Vnde nomen eius magnum & illustre redditum est, quòd & ipsum nec ore petierat Dauid, nec corde concupiuerat. Cæpit autem nomen illius celebrari mox ab occiso Goliath: deinde ea celebritas subinde magis ac magis crescebat, ex eo quòd sub Saule adhuc constitutus, Philistæos atterebat & humiliabat. qua de re 1. Sam. 18. legimus ad hunc modum: *Et factum est nomen eius celebre valde.* Post mortè quoq; Saulis, quoniam rursus Philistæos Syros, Ammonitas, &c. percussit, iterum inclaruit nomen eius. vnde 1. Par. 14 sic legitur: *Diuulgatum est aut nomen eius in uniuersis regionibus, & Dominus dedit pauorem eius super omnes gentes.* itaq; quoniam ista nominis celebritas crebris uictorijs diuinitus concessis parta fuerat, ut eam bene- ficientiam Dei extollerent, non canebant, *Magna est gloria eius in uirtute eius:* sed, *Magna est gloria eius in salute tua.* id est, per salutem tuam, qua eum ex omnib. periculis seruasti, & hostium uictorem constitui- sti: eam scilicet gloriam, & eum splendore nominis & regni adeo celebris & gloriosi tuo consequu- tus est beneficio. Hoc autem innuitur 2. Sam. 7 ubi sic legitur: *Et nunc hæc dices seruo meo Dauid:* *Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli te de pascuis sequentem greges, ut esses dux super popu- lum meum Israël, & fui tecum in omnibus vbicunq; ambulasti, & interfeci uniuersos inimicos tuos à facie tua, feciq; tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum qui sunt in terra.*

Verf. 5.

Quoniam posuisti eum benedictiones perpetuas.] Qd. Eam nominis gloriam ex eo consequutus est, quòd indefinenter populo tuo per eum succurris, dum hostes eius perpetuò conteris ac disperdis: quæ res nihil aliud est, quàm perpetua quædam benedictio populo tuo in hoc Dauidè destinata ac tra- dita. Quòd subdunt: *Lætificasti eum gaudio cum vultu tuo:* significant, hæc omnia non nisi ex diuino pro- fecta esse fauore, quo Dauidem suum Deus indefinenter exhilarare uoluerit. Per vultum autem, vel iram, si austerus: vel fauorè ac gratiam, si serenus sit, intelligi in Scripturis, notius est, quàm ut ad- monere debeam. Kimhi sic dicit: *בבל אשר יעשר לאדם כל אשר יעשר:* id est, *Ecce lumen vultus eius prosperitas est, quæ datur hominibus in omnibus illis quæ faciunt.*

Verf. 6.

Quoniam rex sperat in Domino.] Habet hic versus causam, propter quæ Dauid rex populi Dei, quam- uis multis & magnis impiorum conatibus, subuerti nequiverit, sed semper uictor euaserit. Eam fa- ciunt geminam: sic ut vna Deum, altera Dauidem concernat. Deum concernit beneuolentia, per quam fieri dicunt, quòd rex non moueatur. Dauidem concernit spes in Deum collocata, de qua canunt dicentes: *Quoniam rex sperat in Domino, &c.*

Verf. 7.

Dom.